

2187

L I T U R G I C I.

2188

taniae OO. SS. Officium pro Defunctis, et a fol. 118. quaedam lingua *Germanica*, videlicet Oratio Ducis prolixam ad Deum et Coelites, Methodusque de peccatis confitendi. Quae sequuntur ante et post S. Coenam dicenda rursus *latina* sunt, hisque omnibus praefixae Picturae Ducem ipsum cum Aula sua exhibent, quas longum foret minutius persequi. Succedunt deinceps *Preces* variae ad diversos Coelites, quibus cum inconsulta aevi credulitas singularem quandam efficaciam tribueret, eaque praeviis rubricis depraedicaretur, manus quaedam censuram in eas rubricas exercuit, partim voces quasdam eradendo, partim alias literas dextre interpungendo, ut adeo; *Codice* tamen non deturpato, aegre admodum legi, aut intelligi queant, minimo certe damno. Imago ultima ad sic dictum *Veronicae Sudarium* celebrem ingressum in urbem quandam imperialem ostendit. Vir princeps extra urbem cum Coniuge *Sudarium* illud praeferebat genuflexus oppositum habet pariter in genua prociduum alium Principem se majorem, in quo *Fridericum III. Imp.* videre mihi videor. Universe dici vix potest, quantum in ornando hoc Libro velificatus sit Phantasiae suae *Albertus* pictor, quem in *Lutherum* propendisse, non uno loco conjicias. Viris ecclesiasticis singulariter adfectus tam bene curata cute passim illos proponit, ut vel *Diva Yveta* invidet.

DCCCCXVIII.

Codex membraneus lat. germ. C. 958
Sec. XVI. Folior. 265. in 12. bene scriptus, adlatusque e Parthenone *Halensi Tyroleos* Collectio est *Litaniarum* privato ingenio concinnatarum de nomine *Jesus*, de Eucharistia, de Sanguine *Christi*, de B. V. *Maria* pro singulis Hebdomadae diebus, de Angelis, S. *Michaelis*, *Antonio Patavino*, OO. SS. item pro Fidelibus defunctis, demum de S. Spiritu; quae omnes, ultimis exceptis, latine primum, tum germanice leguntur. E sacris Literis, Patribus et Conciliis excerptas esse, passim monetur in titulis. Literas L. E. Z. O. posteriori parti Thecae inscriptas interpretor: *Leopold. Erzherzog. zu Oesterreich.*

DCCCCXIX.

Codex membraneus lat. gall. R. 1066
Sec. XV. Folior. 214. 4. perquam nitide exaratus, praeter margines omnes eleganter deauratos et picturatos, multasque minores SS. Icunculas, L. Picturis grandibus varia Sacra repraesentantibus artificiose cultus, Precatorius est, et sequentia continet: *Calendarium* minus populosum, in quo minio scripti 23. Apr. *Gerardus* ep. 9. Maji *Translatio sancti nicholai*, 11. *Gengulphus* mart. 25. *Urbanus* papa et mart. 3. Sept. *Mansuetus* ep. 15. *Aper* ep. *Tullensis*. Cum praeter hunc vulgo *Saint Evre* (Eber germ.) dictum

C c 3

dictum

dictum etiam *Mansuetus* (*Saint Mansuy* aut *Mansu*) *Tullensis* in *Lotharingia* Antistes fuerit, S. praeterea *Gengulphus Tulli* Ecclesiam collegiatam habeat, vix dubito Codicem nostrum ibidem scriptum fuisse. Itaque etiam post paucas Orationes dicendas ante receptionem Corporis Christi prima statim effigies S. *Apri* est cum ejus Commemoratione. Sequuntur Horae B. Mariae Virg. in quibus post *Primam* habetur Commemoratio S. *Libariae* vulgo *Sainte Libaire* aut *Libiere* Virg. et Mart. pariter *Lotharae*, quae cum fra-

tre *Elifio* vulgo S. *Aloph* a. 362. passa est 16. Octob. ut notant Martyrologi et *Surius* cum *Bailieto*. In nostro *Calendario* frater solus, et non nisi nigro adscriptus est. Ad *Tertiam* multa Columbarum Paria margini adpicta sunt, quaedam etiam Aves solitariae cum Lemmate: *Qui par non par*, et *fol. averso* Corolla precatória cum Lemmate: *Devot lui suis*. Post *Vesperas* exhibetur Icon Lacrimae super calicem deciduae, *Galles la sainte Larme* cum Hymno hujus initii:

*Sainte larme glorieuse de ihesu christ nostre pere
Du ciel pierre precieuse des yeulz sante et lumiere
Sur le ladre fuste ploree par compassion humaine
De l ange prinse et donnee a marie magdalaine.
Saint maximin te gardat et en son temps te tient chiere.
Puis apres te possedat De constantin lempereur.
A vendome ta fit estre Godefroy d aniou noble conte &c.*

En historiam in nuce hujus *Lipfani* *Benedictinorum Vindocinensium*, de quo extat *Vindocini impressa Historie veritable de la Sainte Larme* anonymo e Congr. S. Mauri Scriptore. Eam sibi confutandam sumsit eruditus *πανεατίας* J. B. *Thiers* *Differtatione sur la Sainte Larme de Vendome, Paris. 1699. 8.* cui *Mabillonius* opposuit *Lettre d'un Benedictin a M. l' Eveque de Blois, Paris. 1700. 8.* minus tamen ipsi *Lipfano*, quam bonae fidei *Depositariorum* patrocinari sollicitus. Ego solum noto lapsum *Librarii* nostri, qui pro *Lazare* scripsit *ladre*, et ad Codicem redeo, in quo

Horae de Conceptione B. V. sequuntur, et quidem immaculata; habetur enim in Oratione: *ipsam sine macula concipiendam — in matrem preordinaſti*. Unde mirum, praefixam esse *Tertiae* Iconem Papae (*Sixti IV?*) religiosis quibusdam Viris, qui dominicani videntur, *Librum* porrigentis. Succedunt Horae S. Crucis, et de S. Spiritu, item Orationes ad varios *Coelites*, quarum primae praeit Imago *Deiparae* cum *Prole*, quibus *Mas* et *Femina* ramusculos offerunt in apicibus literas *L* et *W* deferentes, atque hae fortasse *Possessorum* nomina indicant. *Fol. 130.* depicta est *Catharina Senensis*

sis quinque plagis insignita, fol. 135. iterum Deipara una cum Prole facie nigra et inscripta: *Notre Dame Du Puy En Auvergne. Podium Velavorum* seu *Velaunorum* (Puy en Velay) vulgo *Alverniae* tribuitur, quamvis ad *Occitaniam* pertineat. Imago haec tota Gallia claruit. Fol. 144. sequuntur Psalmi dicti de Poenitentia adhaerentibus Litaniis OO. SS. in quibus praeter jam *Calendario* insertos Indigetes *Tullenses* etiam *Libaria* invocatur. Fol. 160. Officium pro Defunctis; et a fol. 193. rursus Preces ad varios Sanctos, quorum chorum ducit paucis notus et habitu loricati Militis depictus *Bernardus Marchio Badensis*, cujus *Commemorationem* adscribam: *Du beau Bernard. Antiph. O quanta ueneratione est dignus beatus bernardus marchio badensis quia terrenas uanitates spernens in celo triumphum habere promeruit. Vers. Propter ueritatem et mansuetudinem et iusticiam deduxit te mirabiliter christi dextera. Resp. Quia ex hoc ad celestia regna te collocauit. Orat. Omnipotens sempiternus deus qui in beatum bernardum marchionem badensem per donum sancti spiritus tantam gratiam infundere dignatus es ut quicumque ad eum confidenter recurrit salubre remedium u te obtinet tribue nobis quesumus indignis famulis tuis ut qui eius in hoc necessitatis articulo imploramus suffragium sua benigna intercessione apud te opportunum consequi mereamur remedium. Per Christum D. n. &c. Fuit hic Pri-*

mogenitus *Jacobi I. Marchionis a. 1453.* defuncti, sed spretis *Magdalenae Caroli VII. Galli* Filiae nuptiis, et jure successionis in *Carolum* fratrem translato iter ingressus in *Italiam* obiit a. 1459. sepultus in *Monte Calerio Pedemontii*, signis, ut fertur, clarus et a *Sixto IV. 1480.* in Divos relatus, quamvis *Ciaconius*, ejusque Subpletores hac de re in *Vita Sixti* nil meminerint. Conjicere licet, in hunc *Precum Librum* ideo insertum fuisse *Bernardum*, quod matrem habuerit e *Domo Lotharingica Catharinam Caroli Audacis* Filiam. Fol. 202. ad *Orationem uenerabilis Bede presbyteri de septem ultimis uerbis domini* eleganter adpietus est *Beda* scribendo occupatus. De *Pictore* in uniuersum noto, eum formis omnibus senilibus barbam, capillosque caeruleoscentes, juvenilibus aureos tribuisse.

DCCCCXX.

Codex membraneus lat. gall. R. 1409
Sec. XV. Folior. 49. 8. caractere atro, crasso scriptus, literis initiorum deauratis, et picturatis, Iconibusque XXIV. varias V. et N. T. Sanctorumque Historias repraesentantibus ornatus, Precatorius est, primoque loco continet *Heures de la conception nostre dame*, quae tamen latinae sunt, et in quibus *Hora Sexta* appellatur *A midy*. Sequuntur gallice *Les VII. douleurs de la vierge marie* cum Prologo *en forme de roison pour impetrer compassion* dicel-